



# DISSERTATIO DE MANDATO JOSUE,

QUO SOLEM, ET LUNAM REMORATUS EST.

**E**X quo opinionum singularitatem affectare Eruditis succurrit, tum & prodigia omnia ad naturales leges moliti sunt revocare, nullo sanè Scripturæ Textu abutuntur magis, nullumque magis detorqueant, quàm eum, qui mirabilem Solis & Lunæ stationem sub Josue narrat. Ea est quidem prodigii illius fides, adèd perspicua & aperta in Libris Sacris veritas, ut alterum planè sensum verbis dari, quo prodigium eludatur, quàm laborantis phantasiæ errore, atque verbis ejusdem Textus planè detortis haud aliter possit. Non defunt tamen Scriptores, qui hoc sibi negotium assument, ut mirà prorsus judicii præversione, nihil supra naturæ ordinem in ea re nosse se profiteantur, tum & verborum ambagibus vim prodigii totam eludant. Ex quibus alii parùm sanè cauti, ut prodigium omne depellant, alia sanè majora inferunt miracula, atque iis se difficultatibus obvolvunt, à quibus nunquam expediuntur.

† R. Levi Ben-Gerson. u Schemes be- fihom dom. Schemes be- gihom orieb.

z Josue 10. 13. Variabmod bas- chsbemes bas- chhaizi basch. Schamatim. Velaarz laso Keiom ibamim. y Exod. 15. 16. Iiddem Kasfen. u Thren. 2. 18. & 3. 49.

Non defuerunt etiam alii, qui Solem & Lunam nunquam sanè stetitisse autamarunt, sed tantùm cursum suum retardasse (t). Observant enim illi non id Josue præcepisse, *siste cursum Sol (u)*; sed tantùm: *Sol sile*; id est juxta Paraphrastem Chaldaum: *Sol cursum tuum remorare*. Ac si aurigam cursum festinantem quis juberet, equos compescere, atque remorari. De Sole autem, addunt, scriptum est, non stetitisse quidem illum à cursu, sed: *Stetit Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei*. Ita testimonium Libri Justorum in Libro Josue laudatum (x).

Sed quis nesciat Hebræum *silero* idem esse ac *stare*, quiescere, cursum sistere? *Fiant immobiles* (Hebr. ad litteram *sileant*) quasi lapis (y). Et Psalm. 106. 29. *Statuit procellam ejus in auram*; nempe suspendit in medio aere. Et Jerem (z). *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*; i. e. non cesset à lacrymis. Habacuc 2. 19. *Va qui dicit ligno: Expertigiscere s surge, lapidi tacenti*. Paribus utuntur phrasibus Prophani Scriptores: *Statua taciturnior*, ait Horatius; & *Luna silens* apud Plinium l. 16. cap. 30. & alibi, est Luna cum scilicet cursum absolvens lucem nullam demittit. Habacuc Propheta 3. 11. prodigium illud Solis respiciens, ita de ipso

apertissimè: *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt*; neque obscurius Author Ecclesiastici 46. 5. *An non*, ait, *in iracundia sua*. (Josue) *impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo*? His sanè apertissimis verbis Spiritus S. prævenisse obtrectatorum cavillos, tum & præjudicato judicio omnes eorum ambages deprehensas damnare visus est. Quando verò illud concederemus, Solem non penitus quidem à cursu stetitisse, sed aliquanto tantùm fuisse remoratum, quid hæc pro adversariis? An ne pronius est ruentem Solem compescere, quàm penitus sistere?

R. Maimonides non imminuisse tantum prodigii gloriam contentus, omnem subtilit (a). Cum versus in preces Josue Deum rogat, ut Solis & Lunæ cursum tandiu sistat, quandiu sibi opportuna exigendæ de hostibus ultionis occasio faveret, nihil juxta illum Authorem postulat, quàm rem planè simplicem, & communem. Rogat enim concedi sibi, ut ante subeuntem noctem hostes penitus fundat, ac si per modum optantis votum suum prodens diceret. Opto Solem non quiescere, donec ego plenè de inimicis meis ulciscar. Deus roganti acquievit, non quidem cursu Solis, & Lunæ retardato, prorogatà ultra naturæ legem die, sed breviato victoriæ cursu, ut reliquo naturalis diei spatio talem victoriam obtineret, qualem si longius productâ die pugnasset: Namque ante subeuntem noctem quinque Reges fusi, magna acceptâ frange terga vertere coacti sunt. Huic opinioni Vatablus suffragatus, ita Josue ortonationem paraphrastice vertit: Ne, rogo, committas Deus, ut Solis ac Lunæ lumen deficiat, donec plenam de hostibus victoriam reportemus.

In eandem ferè sententiam Grotius descendit, qui in suas partes adducere Authorem Epistolæ ad Hebræos conatur; quippè qui altum habuerit de hoc prodigio silentium. Porro in longo miraculorum catalogo, ac inter præclara fidei Veterum Patriarcharum monumenta, de hoc Josue prodigio ne verbum quidem habet Apostolus; quanquam minorâ sanè prodigia non sileat, uti lapsus mœnium Jericho, ac præmium, quo fides Rahab donata est (b). Addit etiam Grotius, verbâ illa Josue 10. 14. *Obediente Deo voci hominis & pugnante pro Israel*, non ita esse accipien-

a In More Ne' boch. par. 29. cap. 35.

b Hebr. 11. 30. 31. 32.

pienda, quasi Deus ultrò se hominis præcepto submisit, eoque jubente, Solem, & Lunam continuerit; sed tantùm Deum insopem Israelitarum venisse, indito illis robore, quo in eadem hostium promptam animarentur. Hæc omnia, pergit Grotius, probabilissimè quidem asserimus, quamquam fieri etiam potuit, sive ut contineret Deus in medio Cæli properantem Solem, sive etiam post occasum ejus imaginem refractis in objectam nubem radiis super horizontem exhiberet.

c Tract. Theol. Polit. c. 2. pag. 22. &c.

d Præadam. l. 4. cap. 6.

e Josue 10. 14.

Plus aliquid, præ Grotio, audent Spinosa (c), qui totum prodigium ita extenuat, ut ne intelligi quidem ultra possit. Committitur ille Ducem, ejusque exercitum parum mysteriis Physices, & Astronomiæ fuisse initiatos; quare stetit Solem autumasse, cum scilicet nonnisi grandis tunc ruentis refractio solito major contingeret. Simili errore Isaias, addit, Solem asseruit in horologio Achaz septem lineis recessisse, ignotum enim illi fuerat, quid paretia in hac re possent.

Author Præadamitarum (d) insignis planè systematum inventor prodigiis in Scriptura relatis eludendis, docet moram illam Solis sub Josue aliud quidem fuisse, quàm quod vulgò homines opinamur. Erat enim simplex quidam merusque fulgor, qui post Solis occasum diem aliquanto prorogavit in Palæstina, sive tantùm in Gabaon, vallibusque circumfusis, quas palantes hostes petere coacti sunt; sed lucis beneficio fugientes inscutus Josue, ampla cæde victoriam insignem reportavit. Censet igitur ille, Solem propè fuisse ad occasum, cum Ducis præcepto sistere cursum jussus fuit. Sol autem, inquit, nihil jubentem moratus est, sed vicariam sibi lucem reliquit, reflexione radiorum ex objectu montium Gabaon inductam. Lucem hanc excedit fulgor alius minùs quidem vividus, sed fulgenti Lunæ simillimus, qui maximè super convallem Ajalon emicuit. Ita sua fides constat hinc Scripturæ verbis: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies* (e).

Omnes hæc opiniones in suum Commentarium in Josue D. Clericus collegit, adoptavitque; quin & plus aliquid addendum illi visum est. Afferit igitur rotundis verbis, Solem nonnisi in speciem tantummodò stetitisse, re tamen cursum peregrisse suum; quod à se dictum his potissimum rationum monumentis adstruere conatur. 1. Quòd juxta optimos quosque Astronomos non Sol terram, sed terra Solem circumit; quare non Solis, sed terræ cursum retardandus fuisset. 2. Ut proprio verborum sensu loquamur, non erat cur Sol supra Gabaon sisti potuisset; quippe quòd Urbis illius situs eclipyticæ non subiaceat, sed ad Septentrionem vergens ad tropicum Cancræ spectet. 3. Res erat minimi momenti, de qua tunc agebatur; commodius enim ad crastinam diem differenda fuerat, quàm ut opus fuisset prodigio, quo tota intra diei spatium absolveretur. Deus planè non ita miracula profundit, ut pro remanentia naturæ leges omnes invertat. 4. Hi-

storia illa ex Libro Poetico, nempe ex Libro Justorum, derivata est; solemne est autem Poetis elato, emphatico, & hyperbolico stylo loqui. 5. Quare ejus carminis Author turgenti hac phrasi designare voluit, utrumque astrum segniùs in occasum ruere eâ die visum esse, sive quòd radii utriusque Syderis insuetâ quadam refractione diutius super horizonte emicuerint, etiam post Solis occasum, uti apud Lapones contingit, ubi perpetua dies in solstitio activo, quamquam aliquò Sol in occidentem demergitur; sive quòd Divinâ Virtute, seu Angelorum ministerio factum esset, ut micanti aliquo phænomeno Solis & Lunæ defectus suppleretur.

Porro hi omnes Authores, si nec de veritate Libri Josue, nec de Sacrorum Librorum autoritate persuasi sunt, supervacaneâ sanè operâ ingenium suum detorserunt. Quod enim suspiciosum, sive fictum reputamus illud nec refutare seridè, nec sedulò explicare studemus. Si verò de autoritate, ac veritate Scripturæ rectè illi sentiunt, non feliciori conatu operam suam locarunt; quandoquidem sin minus fateri voluerint Authores Sacros in unum conspirasse, ut credulis nobis in eâ historiâ referendâ imponerent; consentire saltem oportet, illos de veritate prodigii persuasos, eandem nobis ingerere ideam voluisse. Quare præpostero quidem conatu laborant Scriptores isti, ut contra fidem Authorum Sacrorum omne ab ea re absumptè prodigium demonstrare nitantur. Id tamen sibi demonstrandum assumpserunt Peireira, & Spinosa; contendunt enim, Josue & reliquos Judæos omnes, Physices & Astronomiæ mysteriis parùm initiatos, tanquam verum prodigium habuisse, quod Solarium radiorum refractioni, sive paretia alicui accepto referendum erat. Se verò omnibus præcis illis Scriptoribus planè sapientiores, errorem probè nosse, vel invito originali Textu, qui veri prodigii ideam ingerit, omne abesse prodigium jubentes. Reformandum igitur illi assument scriptum coarvi Authoris, visa à se & ab omni simul exercitu, quin & ab ejus Regionis incolis omnibus, referentis. Patet illis veritas rei, olim Josue oculato testi ignota. Tandem ut hypothese suam sustineant, ad eas angustias reducuntur, ut asserant Spiritum S. qui Ducem populi Dei illapsu suo regebat, non tantùm in errore nec parvi illo momenti virum reliquisse, sed & inspiratione suâ id commississe, ut posteritati transmitteret commentum imperitiæ illius & phænomeno non benè explorato unicè tribuendum.

Consulatur modò Textus Libri Josue, tum & laudatum è Libro Justorum Testimonium; conferantur loca Habacuc, & Authoris Ecclesiastici; requirantur Judæi omnes, & Christiani, qui ad id usque scriptam ejus rei historiam legerunt [f]; solæ inspectæ phrasæ, quibus totus rei eventus exprimitur, pronam adèd & vividam prodigii ideam ingerunt; ut bonæ fidei nemo inveniri unquam poterit, qui non statim ingens aliquod prodigium, nul-

f Vide si places Disert. Natal. Alexand. de admirabili statione solis imperante Josue.



nulli, de quibus in Scriptura, secundum conceperit. Illud autem obtinere, rei nempe gesta historiam de Libro Iustorum derivatam esse, Libro, uti quidem ferunt, poetico, gemino id asseritur errore, quorum ille merum putidumque commentum est, alter verò rei incertissimam per summam impudentiam adstruit certitudinem. Incertissimum est enim, Librum Iustorum poetico stilo, exaratum fuisse, cum potius Commentarius videatur rerum memorabilium à summis Judaicæ Reipublicæ viris gestarum. Mirari autem subit, quantà confidentiā nunquam inspectus, neque inspiciendus Liber ex parvi fragmenti conjecturā poetico stilo, turgido & figurato scriptus asseratur; quando etiam si aperta extant carminum in eo fragmenti indicia, non tamen continuè poeticum esse opus sine temeritate affirmaretur; cum & Moyſis Opera, verbis licet reserata, prosā oratione scripta esse noverimus. Quid autem si poeticum esse opus figurato stilo scriptum dicatur? An proinde ita ejus phrasas accipiendæ essent, quasi contrarium quid exprimerent, ac illud cuius facilem pronamque ideam ingerunt? Tandem merum est commentum, omnem ejus historiæ fidem ex Libro Iustorum pendere; non enim ex Libro illo rei gesta narratio repetitur, sed in testimonium laudatur rei ab ipso Josue descriptæ. Quare si Liber Josue stetit Solem non in speciem tantum, sed reapse prodit; tantumdem & Liber Iustorum retulisse credendus est. Si Liber Iustorum miraculum narrat, narrat & Liber Josue; quorsum enim alterius ab altero testimonium alioqui peteretur? Porro solā textuum inspectione opus est, ut de consonantia utriusque judicium feratur.

Facilis ego quidem concesserim, quadam esse apud Sacros Authores loca, ubi figuræ, exaggerationes, & poetica phrasas occurrunt; sed contextus, ac tota rei gesta narratio sacrorum Authorum sinceritatem, ac genuinam loci interpretationem in tuto ponunt. Post allegorias enim, & figuras ad planam & simplicem orationem regrediuntur, alteri sententiæ ab altera luce affulgente. Solent plerumque Scriptores viam parare figuris præcedenti aliquā oratione; nec nisi rarò contingit, ut figurata locutio diutiùs retineatur. Sunt etiam in figura voces, quæ cum ad literam reddi non possint, Lectorem cogunt aptum rebus sensum exquirere. Nihil simile in præsentiarum. Josue inclinare jam hostes cernens, Deum rogat, ut plenam sibi de illis victoriam permittat; tum ad Solem & Lunam conversus stare jubet, donec de hostibus suis exigat ultionem. Stetit ad imperium Solem Sacer Historicus prodit: quod autem omnem ea de re dubitationem excutiat, Testimonium laudat ex libro Iustorum. Demum rei gesta narrationem ita claudit: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediēte Deo voci hominis. Quid requiratur ultra ad orationem simplicem, literalem rei gesta historiam planè & sine figuris narratam? Nihil fuisset magis præposterum, quam ut eo in loco exaggeratio,*

& hyperbole reponerentur; quis enim Lector, quantumvis ingenii acumine præstans, ab errore immunis abiisset? Si enim figuræ & metaphora planā hac simplici & æquabili oratione exprimentur, actum est de veritate.

Sola esset natura rei sive supra fidem, sive factu impossibilis, sive impiæ, sive repugnantis, quæ nos posset ad allegoriam cogere: hæc enim regula à Patribus, & Interpretibus in expositione Scripturæ unicè proposita est. Sed in relatione Josue nihil est impium, nihil repugnans, nihil factu impossibile. Prodigium narratum, quod agentium quidem naturalium vires, non autem Dei virtutem excedit. Si verò semper ac prodigiosum aliquod naturæ leges transcendens occurrit, ad allegorias, detortasque interpretationes confugiendum esset, tum & miracula omnia in dubium essent revocanda, vel saltem excogitato ad arbitrium systemate, ad naturæ leges redigenda, quid esset in tota Scriptura salvum? Ita nec Moyſes sicco pede Erythræum transfretasset, siccoque item pede Jordanem non transvadasset Israelitæ, nec moenia Jericho spontè corruissent, neque tandem Christus Lazarum revocasset à mortuis, & sic de singulis.

Si Author Epistolæ ad Hebræos fidem suam obligasset referendis omnibus, ne uno quidem omisso, veteris Testamenti prodigiis, vel saltem si omnia retulisset, eo uno prætermisso, ejus quidem silentium magni esset ponderis ad prodigium removendum. Verum scitum est in ea Epistola breviori quidem tractu obiterque prodigia quædam Patriarcharum delibari, ut paucis relatis plurima omittantur. Ex rebus à Moyſe insigniter gestis rare referuntur; nihil enim de plagis Aegypti, ac de prodigiis in Deserto paratis. Josue ne nomine quidem Epistola illa memorat. Præterit Jordanis transitum, atque expeditionem in Terram Sanctam. Uno verbo, sicut immeritò prorsus revocarentur in dubium veterum Patriarcharum gesta, quod scilicet ab eo Authore silentio preamantur; ita nihil est cur ex eodem silentio invidia huic prodigio creetur; ac mirari subit Grotium hæc conjecturis credidisse.

Tota Scriptorum illorum hypothesis in luce quadam versatur, quæ Solis jam in occidente demersi vicibus fungens, ementitā Solis specie Israelitas sefellit. Non satis autem inter eos de causa hujus luminis constat. Spinose visum est, radiorum reflexioni ejus rei causam tribuere, reflexioni, inquam, quam grandinis procella efficiebat. Grotius nubem statuit in horizonte, cujus objectu radii in montes propinquos reflecterentur; Peireirus, & Clericus quacumque tandem ex causa factum autumant, ut lux illa in vicinis Gabaon post solis occasum appareret.

Hypothesim hanc nihil moror, cum parrelia, reflexiones radiorum Solis in certis Terræ partes, Sole etiam in Occidente demerso, nunquam sine prodigio nonpareant. Quid etiam est aliud Lunæ fulgor, quam Solis radii objecto ejus Astris

disco

disco reflexi? Potuit autem, quod in Luna quotidie aspicimus, idem planè & objecto crassioris nubis contingere. Re tamen verà id factum negari, vel saltem nullam asserri posse tam firmam conjecturam defendo, quæ huic causæ accepto referat diem prorogatum in favorem Hebræorum. Quare non nisi per summam audaciam hæc iniri ratio dubia prorsus, & incerta potuit, ut res certa & apertissimis expressa verbis destrueretur. Planè si res esset cum historiâ obscurâ, intognitâ, verbis ambiguis & variam interpretationem patientibus expressâ, victis illis manus libenter darem; sed rem ancipitem, & hypothese tantum possibilem opponere, quando de re agitur notissima & evidenti; id sanè legibus bonæ fidei omnibus repugnare contendo. Docet Scriptura Solem stetit, Deum verò morigerum se præbuisse hominis imperio, diem illum præ cæteris omnibus, quæ ad id usque paruerint, longiorem fuisse, ut duplicis diei spatium æquaret. En factum omnibus characteribus expressum, cui Israel universus testis adfuit, & Josue, cæterique post illum ratum assertumque prodigium habuerunt. His ego monumentis tutus adversariorum conatus opperit. Populus, inquit illi, universus falsâ ductus credulitate demerſum jam in occidente Solem super horizontem vidisse sibi visus est; fieri enim potuit, ut Solis radii rei alicujus objectu refracti proximis Gabaonitarum montibus affulserint. Repono ego, nihil miratus propositam hypothese, vix ac ne vix quidem fieri potuisse, ut Solem sibi videre populus universus videretur, quem reapse non cerneret; quantumvis enim astronomiæ fuerit imperitus, non est tamen, cur multum Libri terantur, ut Sol in horizonte spectari possit, utque plenè vigilantibus appareat, diem singularem duos vulgares dies equasse.

Quin & falsa sibi persuadent Authores illi, qui Josue declinantem in occasum Solem continuasse asseruerunt. Namque Scriptura insinuare potius videtur stetit Solem in ipso Coeli medietate, cum scilicet cursum mediâ sui parte tantum confecisset. Summo enim mane Josue ad moenia Gabaonis succedens, (noctem enim in itinere à Galgalis ad eam usque Urbem confecerat (g)), prælium in hostes inivit, eosque in fugam versos non ad ascensum Bethoron tantum insequutus est, sed inde etiam procedens excurrit usque ad Azecam & Macedam. Cum hostes ad ascensum Bethoron pervenissent, immisâ lapidum pluvîâ calitùs oppressi sunt. In eo rerum articulo Josue ad preces conversus stationem Soli denunciavit, jubens simul ne Luna contra convallem Ajalon ascenderet. Locus igitur patrati à Josue prodigii inter Bethoron, & Gabaon constitutus est, Bethoron habens ad occidentem, Gabaon ad orientem. Definienda modò horum locorum distantia; quod enim Azecam & Macedam usque excurrisset Josue legitur, id sanè post Solis stationem, & pluviam lapidum contigit; ambe enim

Dissert. Calmet. Tom. I.

Urbes remotiores sunt quam Ajalon, & Bethoron.

Gabaon urbs erat 40. vel 50. stadiis ab Jerusalem septentrionem versus; Josephus enim Antiq. l. 7. c. 10. stadiis 40. ab eâ urbe removet; sed de Bello l. 3. cap. 38. stadiis 50. idem spatium dimetitur. Solet autem 5. stadia pro singulis milliariis assignare, quare stadia 50. miliaria 10. vel leucas 3. efficiunt.

Bethoron inferior, (altera erat enim Bethoron superior, de qua nihil ad nos) in vicinis Gabaon & Ajalon sita, in via inter Jerusalem, & Cesaream, 10. stadiis à Jerusalem distabat. Potuit igitur 5. leucas à Gabaon removeri septentrionem, & occidentem versus. In edito loco constituta, teste Josepho, ascensui Bethoron item & descensui nomen fecit apud Josue 10. 10. &c. Hostes igitur fugientes per ascensum Bethoron Josue insecutus est, eosque descendentes ex urbe lapidum pluvîâ Dominus corripuit, confecitque. Veritus autem Josue, ne promptâ fugâ sese ab ultione subducerent, sistere cursum Soli præcepit. Non igitur ultra quinque circiter horæ excurrerant, ex quo hostes in fugam ineunte mane versos Judæi insequabantur, nec Sol nisi mediam cursum sui partem confecisset poterat. Jussit proinde Josue ne Gabaon proprius accederet Sol, qui ex oriente ad eandem Urbem ascendebat, quæ pariter Urbis copias Israeliticas habebat occidentales.

Ajalon, de qua in eodem loco, Luna contra vallem Ajalon, ex Daniticis erat (h), sita ad occidentem Gabaon. Variant tamen Authores in assignando ejusdem Urbis sita, seu potius varias Urbes cognominis innuunt. S. Hieronymus Urbem hanc sitam perhibet non longè à Gabaon (i); & alibi illam collocat 2. miliar. ab Emmaus, qua parte Jerusalem spectat (k). Sunt ergo Gabaon & Ajalon à Jerosolyma equâ distantia remote, altera ad orientem, alia ad meridiem, seu inter medietatem & occidentem Josue. Quare ascendens Sol ex oriente ad Gabaon, stationem agere jussus est; sicut & morari cursum Luna convalle Ajalon imminens. Tunc autem ad occasum Luna jam vergebat; alioqui etenim manè & ante meridiem nunquam præstior quam Sol apparuisset.

Ex his omnibus sensus deductis illud consequitur, nec diem adeò processisse, nec Solem in occasum inclinaſse, cum præcepto Josue stationem agere jussus est. Potest etiam non incongruè ad literam accipi testimonium Libri Iustorum: *Stetit Sol in medio Cæli.* Apparet etiam, si Historiæ contextum sequamur, emensâque locorum distantia, quæ Israelitæ excurrerant, tum & confecto ab illis post hæc gesta itinere, plurium adhuc horarum viam superfuisset. A Bethoron, Azecam & Macedam usque conficiendum illis erat iter ultra quatuor vel quinque leucarum, si fides sit Hieronymo Azecam 9. miliar. Macedam 8. miliar. septentrionem versus ab Eleutheropoli remotenti. Nam certior factus Josue (l), quinque Reges in antro Macedæ delituisse, obrudi ingentibus sa-

h Josue 10. 42.  
& Judic. 1. 43.

i In Epitaph.  
Paula Ascendit ad Bethoron inferiorem... ad dixeram aspiciens Ajalon, & Gabaon.  
k In Locis.

l Josue 10. 16.  
&c.

T

xis